

**TH.** Vt cumque in alto ventust, Epidice, exim velum vortitur.

**EP.** Vae misero mihi, male perdidit me. **TH.** Quid istuc? quidnam est? 50

**EP.** Quid istanc quam emit, quanti eam emit? **TH.** Vili. **EP.** Haud istuc te rogo.

**TH.** Quid igitur? **EP.** Quot minis? **TH.** Tot — quadraginta minis.

id adeo argentum ab danista apud Thebas sumpsit faenore,

in dies minasque argenti singulas nummis. **EP.** Papae.

**TH.** Et is danista advenit una cum eo, qui argentum petit. 55

**EP.** Di immortales, ut ego interii basilice. **TH.** Quid iam? aut quid est,

Epidice? **EP.** Perdidit me. **TH.** Quis? **EP.** Ille qui arma perdidit.

**TH.** Nam quid ita? **EP.** Quia cottidie ipse ad me ab legione epistulas mittebat — sed taceam optimum est,

plus scire satiust quam loqui servom hominem. ea sapientia est. 60

**TH.** Nescio edepol quid tu timidus es, trepidas, Epidice, ita voltum tuom~ videor videre commeruisse hic me absente in te aliquid mali.

**EP.** Potin ut molestus ne sies? **TH.** Abeo. **EP.** Asta, abire hinc non sinam.

**TH.** Quid nunc me retines? **EP.** Amatne istam quam emit de praeda? **TH.** Rogas? deperit. **EP.** Detegetur corium de tergo meo. ~ 65

**TH.** Plusque amat quam te umquam amavit. **EP.** Iuppiter te perduit.

**TH.** Mitte nunciam, nam ille me vetuit domum

venire, ad Chaeribulum iussit huc in proximum;

ibi manere iussit, eo venturust ipsus. **EP.** Quid ita? **TH.** Dicam: 70

quia patrem prius convenire se non volt neque conspicari,

quam id argentum, quod debetur pro illa, denumeraverit.

**EP.** Eu edepol res turbulentas. **TH.** Mitte me ut eam nunciam.

**EP.** Haecine ubi scibit senex,

puppis pereunda est probe.